DE ARCHITECTVRA,

ACOBI ANDROVETII du Cerceau, Opus.

descriptæ sunt ædificiorum quinquaginta planè dissimilium ichnographiæ, in omnium non odò potentiorum, sed etiam mediocrium & tenuiorum gratiâ, quos ædificandi studium oblectat: Adiunctâ vsus & commoditatis in habitationibus singulis expositione, vnà cum integra cuisque ædificij dimensione.

úc accedit breuis explicatio de structurarum, quibus ædificia constant, dimensione per orgyiam, que Gallica est architectorum mensura, sex longa pedes: Quâ certè methodo nemo non ædificia quævis metiri, & futuri in ædificando sumptus rationem secum inire poterit.

ed & ipsa cuiusque ædificij ichnographiâ, velut paradigmate & archetypo quodam, non solùm cæmentarij ac tignarij fabri, aliíque id genus opifices, verùmetiam quicunque describendis rerum imaginibus delectantur, de apta ædificij cuiuslibet descriptione præclarè admonētur. Ex quo fructum non mediocrem pari voluptate coniunctum capere licet.

LVTETIÆ PARISIORVM,

1559.

E typographia Benedicti Prevotij ad clausum Brunellum, via Frementella, sub stella aurea 1559

Orgyia Gallica diuiditur in pedes ſex: pedis autem hîc adnotati magnitudo pollices continet duodecim: pollex verò lineas item duodecim,

HENRICO GALLIARVM Regi Christianiss.



ANTVS *fuit olim tuus in me fauor, Henrice Rex Christianiss. vt dignatus sis horas aliquot collocare in perspiciendis & contemplandis ædium tum sacrarum tum profanarum ichnographiis, leuiore operâ iampridem à me excogitatis, & in ære exaratis: quâ quidem ex re cùm voluptatis nonnihil cepisse te, vt videbatur, animaduerterem, tanto sum repentè studio incensus, vt de grauiore eiusdem generis opere tibi consecrando iam tum cogitare cœperim, quod & tibi oblectamento, & subditis tuis commodo ac vtilitati foret. Verùm id negotij seriùs quàm pro voto perficere coëgerunt occupationes aliæ, & rerum domesticarum curæ, cùm succisiuis tantùm horis in hoc studium incumbere liceret. Absolui tamen, & ita absolui, vt recèns excogitârim, sculpserim, ac typis expresserim selectas quinquaginta ædificiorum ichnographias, non modò in principum & potentiorum, sed etiam mediocrium & tenuiorum gratiam: vt scilicet ex tam variâ & dissimili ædificiorum multitudine, quod quisque pro suis facultatibus probauerit, deligat & amplectatur. Atque id eò etiam valebit, vt magis magísque decoretur ac exornetur tuum hoc florentissimum regnum, quod tam præclaris & sumptuosis ædificiis in dies illustrari omnes mirantur, vt nihil posthac sit causæ cur tua Gallia ab exteris & peregrinis artificium ac venustatem in ædificando petat ac mutuetur: præsertim cùm ea res tantæ tibi voluptati semper fuerit, vt præstantissimos quosque tuæ ipsius ditionis architectos fouere magnísque stipendiis donare dignatus sis. In quorum postremis quanquam me esse scio, ausus sum tamen id, quantuluncunque est, mei laboris monimentum tuæ maiestati consecrare: quod si tam gratum tibi fuerit, quàm pio à me animo tuæ offertur maiestati, dici vix poterit, quàm acres mihi stimulos ad hanc artim pro viribus excolendam addideris.*

LECTORI.



VM diuina factum ſit prouidentia, vt mortalium quiſque de po-ſteritate ſolicitus, eius artis quam excoluit, eorúmque ſtudiorum in quibus exquiſitè verſatus eſt, pro viribus ingenij monimenta relinquere cupiat, quò nimirum vel naſcentium artium conſtituantur initia, vel ipſæ iam natæ adoleſcant, viréſque & incrementum capiant, aut certè magis ac magis confirmentur & ſtabiliantur, vel denique vt conſopitæ excitentur, atque per varios annorum circuitus tanquam ab inferis denuò reuocentur: putaui equidem aliquid mihi de ea arte & ſcribendum & emittendum eſſe, in quâ multos iam annos præ cæteris ſumma cum voluptate exerceor. Quamuis enim id totum non ſit eiuſmodi, ex quo tantum vtilitatis capi poſſit, vt cum grauioribus ſcientiis vel vtilitatis magnitudine, vel excellenti præſtantia ſit conferendum: id tamẽ eò pertinet, quò duce natura non modò homines ipſi, ſed etiã cæteræ animãtes impelluntur, quæ dum latibula inquirunt & parant, ſuo certè exemplo omnes admonent vt tecta extruant, quibus & frigorum vis pellatur, & calorum moleſtiæ ſedentur. Quamobrem ad cæteras meas lucubrationes iam olim in lucem editas, hoc etiam muneris adiungere placuit, quo quinquaginta varii generis ædificia complexus ſum, facto ſcilicet in tenuiorum gratiam à leuioribus & vilioribus initio, ad ſplendidiora pro cuiuſque facultatibus ſenſim progrediens. Qua quidem in re eam adhibui diligentiam, vt habitationum in ſingulis ædificiis commoditates ſuis deſcriptæ ſint ichnographiis, altitudines orthographiis, interiora verò ædium ſcenographiis. Meum autem erat conſilium, membrorum deſcriptionem, ordinem, & commoditatem, adeo etiam orgyiarum multitudinem, quibus membri cuiuſque ſtructura conſtaret, ſigillatim verbis explicare, vt qui noſtro illo labore frui vellent, ſumptuum omnium rationem faciliùs inirẽt, quos in ædificando facerent: cùm ita ferè cõparatum ſit, vt impenſæ cæteræ fabrilium cuiuſque generis operum, quæ ad ædificij perfectionem requiruntur, ſtructuræ ſumptibus vbique locorum reſpondeant. Sed cùm animaduerterem explicationem eiuſmodi exercitatis in hac arte hominibus inuiſam & iniucundam fore, & tamen rudiorum intelligentiæ conſulendum arbitrarer, operæpretium me facturum putaui, ſi prætermiſſa ſubtiliore illa declaratione præcipua tãtùm cuiuſque ædificij capita breuiter & ſummatim exponerem, adnotatis ad quamlibet ichnographiam areis, tricliniis, cubiculis, veſtiariis, ambulationibus, aliiſque ſingulorum ædificiorum partibus, adſcripto præterea integro orgyiarum numero, quibus totius ædificij ſubſtructio conſtabit: id quod perſpici facilè poterit, adhibito ad contractam orgyiam in ſingulis ichnographiis deliniatam circino, & per omnes ædificii partes circunducto. Huius verò orgyiæ (quæ Gallica architectorum menſura eſt) rationem breuiter explicandam cenſui, primíque ædificij dimenſionem ſigillatim enucleandam, vt vel hoc exemplo mediocriter in metiendi & ſupputandi doctrina verſati homines, cætera ædificia ex ipſis ichnographiis metiri queant, ipſámque Gallicam architectorum menſuram ad omnes alias quoruncunque locorum menſuras reuocare: Id quod ædificaturis adprimè conducit, vt antequam ad ædificandum aggrediantur, futuri in eam rem ſumptus modum præuideant, & perficiendi ædificij rationem proſpiciant: cùm hac vnâ culpâ plerique non parum ſe deceptos ſenſerint.

APPLICATIO GALLICAE ARCHItectorum mensuræ, quam (la toise) nominant.



LA TOISE] Gallica architectorum mensura est, sex longa pedes, vnde Hexapus vel Orgyia Græcè, Latinè verò Passus dici potest: huius mensuræ semis trium est pedum: triens, pedum duorum: quadrans verò, sesquipedis: sextans verò, pedis vnius.

Pes in duodecim pollices distribuitur, quorum singuli lineas duodecim in longum continent: quanquam pollex quilibet in vigintiquatuor semilineas, aliásve particulas exiliores diuidi potest. Quam obrem dimidiati pedis longitudo in sex patet pollices: quadrantis verò, in tres: semiquadrantis, in sesquipollicem. Atque hæc paucula de longitudine satis.

DE ORGYIA QVADRATA.

VT in superficie qualibet orgyiam quadratam metiamur, meminisse decet orgyiam ipsam in sese duci, pro superficiei longitudine ac latitudine, ita vt longitudinis orgyia in orgyiam latitudinis ducta quadratam procreet orgyiam, cuius amplitudo in sex & triginta pedes patet: siquidem sex pedes per sex alios pedes multiplicati, triginta sex producunt pedes.

Eodem prorsus modo pes, cuius longitudo est pollicum duodecim, in se ductus, pedem quadratum efficit, cetum quadraginta quatuor pollicum: quoniam ductis duodecim pollicibus in pollices duodecim, nascitur idem numerus centum quadraginta quatuor pollicum.

Ergo quadrata orgyia pedum est triginta sex: semis, octodecim: triens, duodecim: quadrans verò, nouem. Potest etiam diuidi in semiquadrantes octo, quorum quilibet quatuor est pedum quadratorum cum semisse. Potest denique in minores particulas, quarum in architectura frequens non est vsus, vt de hac partitione plura mihi dicenda non putem.

Præterea quadrati pedis, qui centum quadraginta quatuor pollices complectitur, dimidium septuaginta duorum est pollicum: triens, quadraginta octo: quadrans, trigintasex: & quadrantis dimidium, octodecim.

Eadem ratione quadraginta octo pollices trientem pedis quadrati efficiunt: viginti quatuor autem, trientis dimidium complent.

Pollicis quoque dimidium sex continet lineas: triens verò, quatuor: quadrans, tres. Sunt & aliæ minores pollicis particulæ, quæ in architecturæ dimensionem raro incidunt.

Ex his ergo, que suprà diximus, perspici potest, longitudinis orgyiam in orgyiam latitudinis ductam, quadratam modò orgyiam procreare: orgyiæ verò dimidium in orgyiam integram, quadratæ orgyiæ dimidium efficere: orgyiæ trietem in orgyiam integram, quadratæ orgyiæ trietem: quadrantem verò in orgyiā totam, quadrātem producere. Ex quibus efficitur, vt ex orgyiæ ductu in orgyias, nascatur orgyia integra: veluti, exempli gratiâ, Sex orgyiæ longidinis in quatuor latitudinis ductæ, orgyias viginti quatuor procreant: pedes verò in orgyias ducti, pedes solùm gignunt, quorum sex & triginta (vt antè diximus) orgyiam constituunt quadratam: octodecim verò, dimidium orgyiæ: duodecim, trientem: nouem denique, quadrantem.

Ad hæc etiam pedes in pedes ducti, pedum numerum efficiunt: vt pedes decem in alios decem pedes ducti, pedes centum procreant, quorum triginta sex orgyiam quadratam complent.

Quòd si pollices in orgyiam ducas, vt pollices sex in orgyiam vnam, cogitandum est sex pollices semipedem efficere: vnde sequitur ex ductu ipsorum sex pedum in orgyiam vnam nasci tres pedes: siquidem pes vnus in orgyiam vnam ductus sex pedes creat, siue sextam orgyiæ quadratæ partem. Quare ex semipedis ductu in orgyiam, nascuntur tres pedes, qui duodecimam partem orgyiæ quadratæ constituunt.

Eodem prorsus modo ex pollicum ductu in pollices, fiunt pollices: vt, Sex pollices in alios sex ducti, triginta sex creant pollices, qui pedis quadrati quadrantem efficiunt: siquidem quater triginta sex, centum quadraginta quatuor pariunt pollic, quæ est pedis quadrati mensura.

Non absimili ratione duci possunt lineæ in pollices atque pedes: id quod superiorum c tam facile est, vt longam explicationem non requirat, cùm præsertim tam exiles particulæ ei di in architecturæ dimensionem, in cuius gratiam hæc prælibanda censui, rarò incidant.

DE ORGYIA CVBICA.

IN solidorum dimensione, cuiusmodi sunt fossæ, putei, hypogeæ cellæ, & alia id genus, spectanda est ipsorum altitudo, latitudo, & crassitudo, siue profunditas: vt, si positum sit singula lapidis cubici latera sex contineri pedibus, dubium nemini esse potest, quin totus ipse lapis cubicam orgyiam complectatur, quòd sex longitudinis pedes in totidem latitudinis pedes ducti, triginta sex efficiant pedes: quibus sexies pro crassitudinis modo congestis, ducenti sedecim nascuntur pedes, qui solidam cubici ipsius lapidis amplitudinem definiunt. Quòd si ad cubicas orgyias accedat vel pedes aliquot vel pollices, hi ad easdem orgyias, pedes ac pollices addendi erunt, quemadmodum in quadrata orgyia, adiunctâ semper, vt explicatum est, profunditatis mensurâ.

Illud quoque lectorem monitum volo, Lutetiæ Parisiorum id moris esse, vt duæ contignationum & parietum intergerinorum seu cratitiorum orgyiæ pro vna muri solidi orgyia habeantur: quòd ipsarum contignationum & parietum intergerinorum parua sit crassitudo, nec minor ferè sit in his trabium & lignorum, quàm cæmentorum & lapidum copia. Quòd si contignationis area cocto latere sternatur, tum huius dimensio à solidi muri dimensione nihil discrepat. Eadem est intergerini parietis ratio, vbi interiecta trabibus structura testacea fuerit, quòd scilicet lateris cocti magnum sit pretium. De gypsatâ coquinæ areâ ita statuendum est: tres videlicet ipsius orgyias duabus solidi muri orgyiis æquipollere. Quòd si duro lapide strata sit, singulæ orgyiæ pro solidi muri sesquiorgyia Lutetiæ habentur.

Quod ad tectorium spectat, quo vetus paries inducitur, illud Lutetiæ in more positum obseruatur, vt tres ipsius tectorij orgyiæ pro vna muri orgyia habeantur, dummodò tectorij crassitudo trium sit pollicum.

Adiectitij muri (hos contramuros appellant) pro muris solidis in dimensionem cadunt, dummodò pedis vnius crassitudine constent. Nam si minor fuerit crassitudo, vt sex pollicum, tum orgyiæ duæ pro vna censentur.

In murorum dimensione, ostiorum, ianuarum, & fenestrarum hiatus siue aperturæ nunquam deducuntur, in opere intestino deducuntur.

De columnarum, epistyliorum, zophororum, coronicum, & aliorum id genus ornamentorum, quæ ædificiis tum extrinsecus tum intrinsecus adhiberi solent, dimensione illud præcipiendum puto, coronicem pro semiorgyiâ in sui longitudinem ductâ haberi: zophorum dimidio minoris censeri: reliqua verò pro ornamentorum ratione. Atque hîc meminisse decet pleraque alia Lutetiæ obseruari, quæ à moribus aliarum vel ipsius Galliæ prouinciarum non parum differat. Tametsi Regio nuper edicto omnes aliarum ciuitatum consuetudines sublatæ sint & abrogatæ, cautúmque vt omnes omnium substructionum dimensiones ad muri solidi rationem reuocentur, demptis tamen intergerinis parietibus, contignationibus, & aliis operibus intestinis, quorum orgyiæ duæ pro vna cẽsentur: atque vt ne coronicum, zophororum, aliorúmque id genus ornamentorum siue emblematum dimensiones ad muri rationem exigantur, sed illa omnia vulgari artificio elaborata ædificiis adiungere cæmentarij fabri ipso iure astringantur: quòd si ædium domini vulgari artificio minimè contenti, maiorem in ipsis ornamentis splendorem & venustatem requirant, de eo separatim cum architecto paciscantur. Ego igitur & Regis edictum sequutus, & Galliæ cõsuetudinem, quæ latiùs manaret, Regióque edicto consentiret, censui instituendam orgyiâ simplici ædificiorum dimensionem, citra vllum ornamentorum à muro solido discrimen, vt ista cuiusque arbitrio relinquantur. Habetis ergo quæ de dimetienda apud Gallos ratione dicenda putaui, quæque & ad faciliorem huius operis intelligentiam, & in communem Reipublicæ vsum quantâ potui breuitate perstrinxi.

Vt igitur cuiusque tum ichnographiæ tum orthographiæ dimensio rectè instituatur & perficiatur, singularum partium & contignationum cuiusque ædificij longitudines, latitudines & altitudines spectandæ sunt. Id quod facilè consequêris, adhibito nimirum ad contractam orgyiam cuilibet ichnographiæ adscriptam circino. Sic enim pro orgyiæ quantitate diducto circino ædificij cuiusque longitudines & latitudines in ipsa ichnographia dimetieris, murorum verò altitudines ex eiusdem

ædificij

rij orthographia colliges. Cuius quidem rei exemplum repetam à particulari primi ædificij ensione.

I.

PRimum ædificium ita comparatum est, vt eius latitudo orgyias vndecim in fronte pateat, orgyias verò quatuor pedésque totidem profunditas, orgyias denique septem altitudo, ab imis scilicet fundamentis ad parietes summos, quarum duæ fundationi atque cellæ vinariæ profunditati debentur, reliquæ verò quinque tribus habitationibus supra terram extantibus, quarum suprema infimas tecti partes parietum loco accipit, tribuuntur.

Prima habitatio, quæ è terrâ extat, decem pedibus sub trabes attollitur, itione media ingressum in ædes præbente, collocato ad alterum quidem latus cubiculo & vestiario, ad alterum verò culinâ, & cellâ penariâ sub rectæ itionis scalis.

Superior habitatio pedes duodecim sub trabes elata, triclinio, conclaui, cubiculo, vestiario, & altero conclaui distinguitur, ita tamen vt conclaue vtrumque membris contineatur duobus tentoriorum more fastigiatis, quæ in aream proiecta ad duo ædificij extrema adiunguntur.

Suprema habitatio, quæ infimas tecti partes parietum loco accipit, paribus describitur, quibus inferior habitatio, partibus. Porrò huc accedunt camini sex, & hypogei fornices duo condendis vinj doliis vtiles, quorum eadem est, quæ totius ædificij, longitudo.

Cæterùm totius ædificij substructio, demptis latrinis, quæ in area constitui possunt, orgyiarum est quingentarum triginta nouem & sedecim pedum, quemadmodum ex particulari, quæ sequitur, dimensione perspici facilè potest.

Primùm enim parietes duo, quorum alter à fronte, alter à tergo, singuli orgyias vndecim in longitudinem patent, in altitudinem verò septem, connumeratis videlicet pedibus vndecim, qui fundationi debentur. Ex quo ratiocinanti facilè colligitur, vtriusque parietis dimensionem orgyias septem & septuaginta continere: ita vt ambo simul parietes centum quinquaginta quatuor orgyias complectantur.

Reliqui duo parietes, qui ad ædificij latera consistunt, sub triquetros vertices, continent singuli latitudinis orgyias quatuor, altitudinis verò septem, deductis ipsorum parietum extremitatibus, quibus cum antedictis duobus agglutinati cohærent. Hinc colliges vtriusque parietis dimensionem orgyiarum esse viginti octo, cùm quater septem tantum efficiant. Quare amborum simul dimensio orgyiarum est quinquaginta sex.

Sed triquetri horum parietum vertices supra quadrilateram structurã attollũtur singuli orgyiam vnam & pedes quatuor: quæ altitudo in orgyias quatuor latitudinis ducta, singulis verticibus tres orgyias & pedes duodecim attribuit: ita vt amborum dimensio orgyiarum sit sex & semissis cum sex pedibus.

Duo muri transuersi scalas rectæ itionis vtrinque concludentes, ab imis cellæ vinariæ fundamentis ad primam contignationem erecti, altitudinem habebunt singuli orgyiarum trium pedúmque quatuor, latitudinem verò orgyiarum quatuor, ita vt singulorum dimensio orgyiarum sit quatuordecim semis, cum sex pedibus: amborũ verò simul, viginti nouem orgyiarum & pedum duodecim.

Medius autem murus cellam vinariam bipertitò dispescens, orgyias nouem in longitudinem patebit, deducto rectarum scalarum transitu inter duos parietes transuersos medio: pedes verò vndecim in altitudinem assurget, deducta ipsius fornicis crassitudine. Vnde colligetur ipsius muri dimensio orgyiarum sedecim cum semisse.

Rectus in cellam vinariam descensus latitudinem habebit pedum quatuor, decem verò pedum altitudinem: sed graduum singulorum altitudo sex erit pollicum, nouem verò latitudo. Itaque dimensio tota orgyiarum erit duarum semis cum pedibus decem.

Primorum, id est, infimorum graduum fundatio pedes duodecim sibi vendicat.

Sed murus, qui cochlides cellæ vinariæ scalas in orbem cingit, pedes duodecim latitudinis, siue mauis peripheriæ, continet: altitudinis verò, pedes totidem: hinc nascuntur orgyiæ quatuor.

Earundem scalarũ gradus, scapus, & subiecta gradibus anfractuosa structura pedes decem in descensum patent, tres verò in latum: ita vt graduum altitudo trium sit pedum & pollicum sex, eorúmque latitudo sex aut septem pollicum. Quare tota scalarum dimensio, connumeratâ fundatione, orgyiarum est duarum.

Oblongus vtriusque cellæ vinariæ fornix orgyias decem duósque pedes in longitudinem p. quindecim verò pedes in peripheriam, ex quibus nascuntur orgyiæ vigintiquinque & semiorg cum pedibus decem. Quamobrem fornices ambo orgyias vnam & quinquaginta cum semio. & pedibus sex complectuntur.

Eiusdem cubiculi, vestiarij, itionis, & culinæ area longitudinem habet orgyiarum decem duorúmque pedum, orgyiarum verò quatuor latitudinem: vnde nascuntur orgyiæ vna & quadraginta pedésque duodecim, de quibus deducendæ sunt orgyiæ quatuor totidémque pedes, tum pro transuersorum murorum crassitudine, tum pro rectarum scalarum descensu, cochlidum transitu, & vtriusque camini area, ita vt reliqui summa orgyiarum sit triginta septem & octo pedum, quarum ternę cùm binis murorum orgyiis respondeant, orgyię viginti quatuor semis cum pedibus vndecim fiunt.

Porrò structura interior, quæ camini vtriusque focum in cubiculo & culina continet, fumúmque & fuliginem cohibet, orgyiarum erit quatuor. Quare vtriusque simul camini structura eiusmodi interior orgyiarum erit octo.

Vtriusque camini tum focus, tum murus adiectitius, cui ligna apponuntur, in singulis quidem caminis pedum triginta fuerit: in ambobus verò simul, orgyiæ vnius cum semiorgyia & sex pedibus.

Eorundem caminorum canales siue gulæ, singuli orgyiarum quinque & semissis altitudinem habere poterunt, pedum verò duodecim perimetrum siue ambitum, facta nimirum crassioris cum tenuiori structura compensatione: vnde nascuntur vndecim in canales singulos orgyiæ, in ambos verò simul, duæ & viginti.

Tres intergerini parietes, qui in primæ habitationis cubiculo, itione, & vestiario, gnomonis orthogonij figuram referunt, simul continent longitudinis orgyias nouem, decémque altitudinis pedes, ita vt duæ orgyiæ pro vna habeantur: vnde ipsorum parietum dimensio orgyiarum est septem & semiorgyiæ.

Rectarum scalarum gradus, quibus ab ima habitatione ad primam contignationem ascenditur, positâ videlicet sex pollicum in singulis altitudine, pedis vnius latitudine, quatuórque pedum longitudine, solidi muri orgyias tres cum semiorgyia & pedibus sex complectuntur.

Primæ & infimæ habitationis contignatio orgyias decem pedésque duos in longitudinem patet, orgyias verò quatuor in latitudinem: ex quo nascuntur orgyiæ duæ & quadraginta, pedésque duodecim. De quibus deducenda est orgyia vna semis cum pedibus duobus, quòd tantum spatij & transitui scalarum, & inferiori structuræ focum ambienti (tibiam camini vulgò nominant) tribuendum sit. Ita relinquuntur orgyiæ triginta nouem cum semiorgyia & pedibus decem: quæ ad solidi muri orgyias reuocatæ (cùm duæ pro singulis censeantur) orgyias nouemdecim & semiorgyiam cum pedibus quatuordecim efficiunt.

Secundæ siue superioris habitationis intergerini parietes ambo orgyias vndecim pedémque vnum in longitudinem patent, in altitudinem verò orgyias duas. Ex quo duæ & viginti orgyiæ cum pedibus duodecim nascuntur, quæ ad solidi muri orgyias reuocatæ, orgyias vndecim & sex pedes efficiunt.

Scalarum in secunda habitatione gradus, cum subiecta cochleari structura, latitudinis fuerint pedum trium cum semisse, altitudinis verò orgyiarum duarum. Hinc colligitur eorundem graduum (connumeratâ horum & latitudine & altitudine) atque subiectæ gradibus cochlearis structuræ dimensio orgyiarum duarum & semiorgyiæ cum tribus pedibus.

Duorum simul caminorum, qui in eadem sunt habitatione secundâ, tota interior structura, quæ fumum & fuliginem continet, orgyiarum est octo, cùm vtraque separatim orgyiarum sit quatuor.

Vterque simul eorundem caminorum & focus & murus adiectitius, cui ligna apponuntur, orgyiam vnam cum semisse continet.

Eorundem caminorum vterque simul canalis orgyiarum est quatuordecim.

Supremæ habitationis, quæ infimas tecti partes parietum loco accipit, contignatio inferiori consimilis, solidi muri orgyias nouēdecim & semiorgyiam cum pedibus quatuordecim complectitur.

Duorum simul caminorum, qui in eadem sunt habitatione suprema, tota interior structura, quæ fumum & fuliginem cohibet, orgyiarum est (vt superiores) octo.

Vterque eorundem caminorum tum focus tum adiectitius murus (vt superiores alij) orgyiæ vnius cum semisse.

rundem caminorum canales altitudinem consequi poterunt orgyiæ vnius cum semiorgyia, paque superioribus aliis perimetrum: ita vt singulorum dimensio orgyiarum sit trium, amborum simul, orgyiarum sex.

rsque fenestellę structura, quæ summos parietes superat, orgyiarum fuerit duarum & semiordimidiatæ vero fenestellæ orgyiarum duarum: Ita fenestellarum eiusmodi sex, & dimidiataquatuor simul substructio orgyiarum erit viginti trium.

o huius ædificij membra tentoriorum more fastigiata, conclauium siue pinacothecarum vun in qualibet habitatione præbentia, orgyias tres in omnem latitudinis & longitudinis dimensionem exterius patent: hoc est, in singula latera orgyias singulas: in altitudinem verò orgyias sex, connumeratâ videlicet vna fundationis orgyia. Hinc nascuntur orgyiæ octodecim, quæ vni ex his duobus membris attribuantur: vtrique verò triginta sex.

Duarum contignationum, quæ in vtroque ipsorum membrorum reperiuntur, area complectitur orgyias duas & semissem, ita vt omnes vtriusque membri areę simul orgyiarum sint quinque.

Duæ eorundem edificij membrorum angustiores fenestræ, quæ summos etiam parietes superant, complectentur singulæ orgyiam vnam, ita vt ambarum simul dimensio orgyiarum sit duarum.

Tota igitur huius ædificij substructio in omnem cuiusque partis dimensionem orgyias patet quingentas triginta nouem cum pedibus sedecim. D X X X I X. or. X V I. p.

CÆterùm neque huic superioris ædificij, nec vlli sequentium ædificiorum dimensioni adnumeratur hypogearum cellarum effossa amplitudo: quoniam plerisque in locis ipse operis redemptor, de muri orgyia cum domino pactus, in effosionem eiusmodi obligatur, quâquam fit interdum vt soli dominus idipsum per seruos leuiore sumptu curari & perfici malit.

Cùm autem dissimiles sint omnium ferè regionum atque locorum mensuræ, quę tamen (vt antea monuimus) ad Gallicas facilè reuocantur, è re studiosorum fore putaui, si (quemadmodùm feci) quibusdam ichnographiis orgyias tres, aliis quatuor, nonnullis etiam sex adnotassem, ea tamen lege vt orgyiæ singulæ sex pedibus Gallicis definiantur.

Illud quoque obseruari velim, ex ichnographiis nonnullas ita comparatas esse, vt earum dimidium infimæ seu primæ habitationi respondeat, alterum verò dimidium ad superiorem habitationem pertineat, id quod ipsi ichnographiæ adscriptum neminem latêre poterit. Verùm quoniam id vnum enixè semper studui, vt ex meo labore non tantùm mea Gallia, sed etiam omnes exteræ nationes aliquem fructum & voluptatem caperet, Latino in primis sermone, qui omnibus ferè est in vsu, tota hæc res nobis explicanda visa est: in quo si aut verborum proprietatem, aut sententiarum venustatem politior aliquis requirat, sciat in id studij nos vt potuimus incubuisse, quando vt voluimus agere non licuit. Ac certè non parum laboris fuit tam nouas, tam inusitatas atque indictas veteribus ædiũ siue partes siue particulas suis appellare nominibus: id quod ab omnibus & animaduersum & æqui boniq; consultum cupio. Ego igitur in communem omnium gratiam singulas cuiusque tum ichnographiæ tum orthographiæ partes Latino sermone pro viribus declaraui, adscriptis aut binis aut singulis cuique ichnographiæ literis, quibus singularum partium in quouis ædificio vsus & commoditas intelligatur: quemadmodum (exempli gratia) A L, aulam, siue mauis triclinium significant: C B, cubiculum: V, vestiarium: C, conclaue, siue mauis pinacothecam: C L, culinam, aut coquinam: P, penariam, siue promptuariam cellam: A F, aulam famulitij, aut famularem: V P, vaporarium, siue mauis hypocaustum: C L L, cellas vinarias: O, oratoriam cellam: A B, ambulationem, siue mauis porticum: H Y P, hypæthras siue subdiales ambulationes. Quoties verò in ichnographiis partes quasdam duplici literarum ordine, veluti suprà C B, infrà verò C L, notatas reperies, ipsa C L, culinam significant in habitatione infima constitutam: C B, autem, cubiculum in superiore habitatione situm. Quoties enim nota duplex in aliqua ichnographiæ parte occurret, memineris notam inferiorem primæ seu infimę habitationis commoditatem significare, superiorem verò superiori conuenire habitationi.

I I.

AEdificij secundo ichnographiæ schemate deformati facies orgyias duodecim cum semisse in latitudinem patet, in profunditatem verò quinque & semissem, factâ nimirum extrinsecus dimen-

ſione, & parictum omnium dimenſa in omnes partes craſsitudine: prętermiſſa tamen areâ & areo pto, vtpote cuius in ipſa ichnographia nulla prorſus ſit facta mentio. Huius autem ædificij ha particularis deſcriptio.

Ædificium hoc à ſoli ſuperficie ſiue plano pede, ad ſummam contignationem orgyias tres a tur, ab eóque ipſo plano pede ad imum fundamentum in hypogeæ habitationis inſtitutione gyias duas deprimitur, quę ad ſuperiores additę orgyias quinque efficiunt.

Sub podio, ſiue prothyræis ſcalis in hypogeam habitationem patet ſeptem pedum deſcenſus: a quoque ſub interioribus rectæ itionis ſcalis, in cochleæ anguſtioris formam compoſitus. His vero ſeptem pedibus adiuncti tres alij, qui prothyræis debentur ſcalis, decempedalem altitudinem ipſi concedunt hypogeo, quod in coquinam, cellam penariam, vaſculariam, lignariam, & cellulam vinariam diſtinctum eſt.

Superior habitatio, quæ ex plano pede eminet, inter vtramque contignationem pedum duodecim altitudinem ſibi vendicat. Hæc mediâ diuiditur itione, cuius alterum latus triclinio, conclaui, veſtiario, & latrinæ deſtinatum eſt: alterum cubiculo, conclaui ſub ſcalis rectæ itionis ſito, veſtiario, & latrinæ attribuitur.

Supra hanc habitationem pari ratione collocantur cubicula, conclauia, veſtiaria, & latrinæ, ita tamen vt infimæ tecti partes in parietum vicem ſubeant. Porrò ædificium totum per infumibula quinque fumum emittit, eiúſque ſubſtructio orgyiis triginta & quingentis abſoluitur. D X X X. or.

III.

TErtium ædificium latitudinis orgyias ſedecim in fronte habet, quibus accedunt aliæ ſex cum ſemiſſe, quæ profunditatem definiunt, factâ extrinſecus, vt antea, dimenſione. Huius altitudo à ſoli ſuperficie ad ſummum parietem orgyias tres pedéſque duos complectitur, dempto tamen ædificij membro tentorij more faſtigiato, quod priorem ædificij altitudinem ſeptem pedibus ſuperat.

In porticus ingreſſu occurrunt ſcalę gradibus nouem ſupra terram aſſurgentes in quatuor pedes & ſemiſſem, qui ad infimæ habitationis altitudinem accedunt. Ex vtraque earundem ſcalarum parte in hypogeam habitationem patet ſex pedum deſcenſus, ita vt pedibus duodecim ſub prima contignatione, aſſumptis vnà fundamentis, depreſſa lateat. Hæc autem habitatio culinâ, cellâ penariâ, itémque vaſculariâ, ex altero quidem latere diſtinguitur: ex altero autem, triclinio communi, duobúſque locis in panis viníque aſſeruationem comparatis, effoſsâ ſub communi triclinio cellâ etiam vinariâ.

In ſuperiore habitatione ad alteram quidem ſcalarum partem deſcripta eſt aula, conclaue, veſtiarium, atque latrina: ad alteram verò, cubiculum, conclaue, veſtiarium, & latrina.

Suprema habitatio, quæ infimis tecti partibus pro parietibus vtitur, cubicula duo, totidem conclauia, veſtiaria, latrinas complectitur.

Totius autem ædificij duodecim ſunt infumibula, eiúſque ſubſtructio orgyiarum eſt viginti & ſexcentarum. D C X X. or.

IIII

QVarti ædificij facies orgyias nouemdecim in latitudinem patens, orgyiarum octo & ſemiſsis profunditatem habet, cuius ab imis fundamẽtis ad ſummos parietes altitudo ſex orgyiis definitur, quarum quatuor cum pedibus totidem à plano pede in altum ſublimitati debentur, reliquum verò tum fundationi, tum hypogeæ habitationis altitudini attribuitur.

In huius introitu ſeptem pedum aſcenſus in habitationem ducit, quæ prima ex ſoli ſuperficie eminet. Ex aduerſo ipſarum ſcalarum in hypogeam habitationem, quæ pedibus decem attollitur, quatuor pedum deſcenſus patet. Hęc autem hypogea habitatio in culinam, cellam penariam, aulam cõmunem, lintei epularis apothecam, cellam œnonomicam, cellam lignariam, & cellulam vinariam diſtinguitur: quibus duo accedunt infumibula, hoc quidem aulæ, illud verò culinæ accommodatum.

Superior habitatio, quæ prima ex plano pede eminet, aulam complectitur ſuo conclaui inſtructam, cubicula duo, totidémque veſtiaria, addito ad cubiculorum alterum conclaui vnico: tria præterea infumibula, aut (ſi mauis) quatuor, cùm infumibula duo triclinium ipſum pro ſui longitudine capere poſſe videatur.

Suprema

suprema habitatio, quæ infimas tecti partes in parietum vicem accipit, cubiculis quatuor, si ad superiorem triclinij contignationem intergerinus accedat paries, instruitur, vestiariis duobus, cõclauibus totidem, & infumibulis quatuor: ita vt totius ædificij structura orgyiarum sit octingentarum. DCCC. or.

In latrinarum situm deligendus erit aptus quidam ex area locus: neque enim earum substructio superiore dimensione comprehenditur.

V.

QVintum ædificium in fronte latitudinem orgyiarum tredecim habet, orgyias nouem in profunditatem patens, quibus ab imis fundamentis ad summos parietes accedunt altitudinis orgyiæ sex cum semisse. Huius autem ædificij tres sunt à plano pede in sublime habitationes.

Quarum infima pedibus tredecim sub trabes elata culinam, cellam penariam, lintei epularis sitam sub scalis rectę itionis apothecam complectitur: aulam prętereà, conclaue, cubiculum, adiuncto cõclaui, vestiario, & latrina: quę omnia tribus infumibulis instructa sunt. Sub huius autem habitationis cubiculo duo sunt cellæ vinariæ fornices: quò patet descensus sub rectæ itionis scalis in medio sitis, vt ex ipsa perspici potest ichnographia.

Superior habitatio pedibus vndecim sub trabes elata triclinium continet, conclaue, cubicula duo, & alterum conclaue, vestiaria duo, & latrinas totidem, adiunctis tribus infumibulis.

Suprema verò, quæ infimas tecti partes parietum loco accipit, decem pedes attollitur. Hîc cubiculis quatuor locus est idoneus, excitato supra triclinium per mediam contignationem intergerino pariete. Singulis autem cubiculis suum attribuitur conclaue. In hac habitatione tria sunt infumibula, & latrinæ duæ.

Totius autem ædificij substructio orgyiarum est viginti & octingentarum. DCCCXX. or.

VI.

SExti ædificij in fronte latitudo quidem orgyiarum est octodecim, nouem verò profunditas, quibus accedit orgyiarum sex altitudo, quarum quatuor duóque pedes à soli superficie sunt ad ipsos parietes summos, reliquum verò ab ipsa soli superficie ad imum fundamentum.

In huius ædificij limine occurrit ad retractionem graduum, siue areolam, indéque rursus in secundam habitationem ascensus. Ex aduerso alterius lateris eiusdem refractionis descensus in habitationem infimam patet, quæ decem pedes alta ministeriis œconomicis destinata est. Nam ex altero latere culinam continet, cellásque penarias duas, quarum altera sub ipsa retractione sita est: itémque cellam vascularíam cum clibano: Ex altero autem latere communem aulam habet, lintei epularis apothecam, cubiculum, cum vestiario.

Superioris habitationis, quæ pedes quatuordecim attollitur, alterum quidem latus aulam, cubiculum, vestiarium, cellámque oratoriam cõplectitur: alterum verò, cubiculo, vestiariis duobus, adiunctâ latrinâ, distinguitur. In huius habitationis medio positus est descensus, qui per podium, siue posticas rectæ itionis scalas extrinsecus excitatas in hortum deducit.

Suprema & tertia habitatio, quæ infimas tecti partes parietum loco accipit, pedes decem sub suum lacunar attollitur. Continet autem cubicula duo, vestiaria quatuor, quibus suæ accedunt latrinæ.

Totius ædificij structura orgyiarum est triginta & octingentarum. DCCCXXX. or.

VII.

SEptimum ædificium in aqua extructum sedecim orgyias latitudinis in fronte habet, præter latrinas duas, quæ pedibus septem proiiciuntur, nouem orgyiarum profunditatem, altitudinem verò orgyiarum quinque & semissis, ab imis scilicet fundamentis ad summos parietes: quarum orgyiæ quatuor duóque pedes à puluino proclinante in sublime continentur, reliquum verò eidem puluino debetur & fundationi palationibus institutæ, vbi locus non reperitur solidus.

Prima habitatio nouem pedes sub trabes alta culinam complectitur, cellam penariam, cellam vasculariam: item, aulam communem, lintei epularis apothecam, cellam lignariam, cellulam vinariam, atque latrinam: quibus accedunt ingressus, & rectæ itionis scalæ in medio ædificij collocatæ.

Superior habitatio pedes tredecim inter vtramque contignationem ſublata triclinium magni accipit,cubicula duo,conclauia duo,totidémque veſtiaria,& latrinas totidem.

Tertia & ſuprema habitatio, quæ inferioribus tecti partibus pro parietibus vtitur, quatuor continet cubicula,accedente nimirum ſupra triclinium intergerino pariete,quo mediam ipſius contignationem dirimat:quorum ſingulis ſua attribuuntur veſtiaria,collocatis,vt in habitationibus inferioribus,latrinis.

Totius ædificij ſubſtructio orgyiarum eſt octingentarum & ſeptuaginta. DCCCLXX. or.

VIII.

OCtauum ædificium in facie anteriore,quæ ad aream ſpectat, orgyiarum ſedecim latitudine definitur,in poſteriore verò octodecim cum ſemiſſe, nimirum ob membrorum acceſsionem, quę tentoriorum modo faſtigiata extra faciem anteriorem excurrunt: profunditatem præterea orgyiarũ ſeptem habet,non connumeratis quinque pedibus,qui ipſorum membrorum proiecturę debentur: ſex denique orgyiarum ab imis fundamentis ad ſummos parietes altitudinem obtinet, quarum quatuor cum pedibus quinque ſunt à plano pede in altum,ſeptem verò pedes fundationi conceduntur.

Huius ædificij infima habitatio nouem pedibus ſub trabes elata famulari triclinio in habitatione media collocato inſtruitur,ad cuius alterum latus poſita ſunt culina,cella penaria,cella vaſcularia, atque latrina:ad alterum verò,cubiculum,conclaue,veſtiarium,cum latrina.His accedunt rectæ duplicis aſcenſus,partim ad dextram,partim ad læuam poſiti,ſcalæ.

Superior habitatio quindecim pedum altitudine ſub trabes elata,aulam cõtinet,cubicula duo, totidem conclauia,veſtiaria,atque latrinas.

Suprema habitatio, quæ infimas tecti partes parietum loco accipit, paribus ſimilibúſque deſcribitur partibus, quibus inferiores. In hoc toto ædificio tredecim ſunt infumibula, eiúſque ſubſtructio decem & nongentarum eſt orgyiarum, prætermiſſa dimenſione ambulationum in ichnographia delineatarum. DCCCCX. or.

IX.

HVius noni ædificij latitudo in fronte orgyiarum eſt ſeptemdecim, nouem verò profunditas,prætermiſsâ duarum orgyiarum proiecturâ, quæ duobus debentur membris tentoriorum more faſtigiatis,& ſcalarum vſum præbentibus: altitudo denique ab imis fundamentis ad ſummos parietes orgyiis ſex & ſemiſſe definitur: quarum quatuor cum pedibus totidem à ſoli ſuperficie in ſublime attribuuntur,reliquum verò hypogeæ habitationi & fundamentis conceditur. Vtriuſque autem ipſorum membrorum altitudo ſummos ædificij parietes pedibus octo ſuperat.

In ſecundam habitationem patet trium pedum aſcenſus,decem verò in hypogeam deſcenſus, quæ nouẽ pedibus ſub trabes aut cameram (ſi concameranda videatur) elata miniſteriis domeſticis & famularibus deſtinata eſt:continet enim magnum triclinium duobus inſtructum infumibulis. Ad eius extremum ſub altero ex amplioribus membris tentoriorum more faſtigiatis collocata eſt culina, cui ad latus ſua adiungitur cella penaria:ad alterum autem eiuſdem triclinij extremum, ſub altero quoque ex ipſis amplioribus membris collocatum eſt famulare triclinium, ſua lintei epularis apotheca inſtructum,cum cella œnonomicâ in medio conſtitutâ: quibus adiuncta ſunt duo loca ſubrectæ itionis ſcalis poſita,quæ cellularum vinariarum vſum præbeant.

Altera & ſuperior habitatio, pedes duodecim ſub trabes alta,ampliore diſtinguitur triclinio duobus inſtructo ſpiraculis(cui ſua in medio adiuncta eſt lintei epularis apotheca,ſiue mauis pinacotheca)cubiculis duobus,& veſtiariis totidem.

Tertia habitatio decem pedibus ſub trabes elata, quatuor deſcribitur cubiculis, veſtiariis quatuor, & conclaui vnico: ita tamen vt ex his omnibus cubicula duo, per quæ in alia duo cubicula ad hortos ſpectantia patet tranſitus,veſtiaria duo, ipſúmque in medio cõclaue, ſupra triclinium collocentur:id quod intergerinorum parietum adminiculo conſequêris, qui tamen in ipſa ichnographia deformari non poſſunt.

Quarta & ſuprema habitatio,cui infimæ tecti partes in parietum locum cedunt, pedibus nouem ſub ſuum lacunar attollitur. Hæc paria omnino & ſimilia ædificij membra continet, quibus proxima

ma inferior descripta est.

Totius autem ædificij structura mille quinquaginta continetur orgyiis, quibus neque cella vinaria, neque latrina adnumeratur. M L. org.

X.

DEcimum ædificium in loco palustri vel secundùm aquam situm orgyias decem in omnem longitudinis & latitudinis dimensionem complectitur, habétque in quolibet cuneo turrim rotundam, quæ ædificij altitudinem contignatione vna superat, eiúsque diameter in interiorem parietum superficiem desinens duarum est orgyiarum pedísque vnius. Hoc autem ædificium supra puluinum proclinato latere substructum orgyias quinque & pedes quatuor elatum est: puluinus verò cum fundamentis, orgyiam semis.

Prima huius ædificij habitatio pedibus vndecim sub trabes elata culinam complectitur, cellam penariam, cellam vascularium, triclinium, conclaue, cubicula duo, vestiaria totidem, addito conclaui, cellam vinariam sub cubiculo collocatam pari interuallo à coquina distantem, quibus accedit carcer in interiore turris puluino.

Secunda habitatio pedes quindecim sub trabes elata distinguitur triclinio, cubiculis tribus, vestiariis totidem, cum sua cuique latrina.

Tertia habitatio, que infimas tecti partes parietum loco accipit, paribus ac similibus, quibus inferior proxima, describitur partibus.

Suprema turrium habitatio in subdialis pauimenti modum excitata, itionem in circuitum habet, ex cuius medio rotundum tectum eminet.

Obseruandum est autem contignationum transtra siue trabes inter se propinquas esse oportere, quoniam fenestræ interius pari distantes interuallo in medium cubiculorum incidant: id quod plerique expetunt.

Porro totius ædificij infumibula sunt septem & viginti: substructio autem mille decem & centum est orgyiarum. M C X. org.

XI.

HOc ædificium orgyiarum quindecim semis latitudinem in fronte habet, in lateribus autem orgyiarum octo semis profunditatem, altitudinem denique orgyiarum septem, quarum vna fundationi tribuitur, sex verò reliquæ à soli superficie in altum cõceduntur. In huius ædificij medio patet aditus cum thyroreio, id est, itione à fronte ad posticum traducta, ad eiúsque extremum excitatæ sunt rectæ itionis scalæ, circùm quas in singulis contignationibus constitutũ est vestibulum locúsve communis, antequàm in vllum habitationis membrum sit introitus.

Infima omnium habitatio pedibus decem sub trabes elata œconomicis ministeriis dicata est, quę ad alterum itionis latus coquinam, cellam penariam, famulare triclinium, conclaue, & latrinam cõplectitur: ad alterum, cubicula duo, vestiaria totidem, atque latrinam vnam liberum vtrique vestiario vsum adferentem. Huius habitationis sex numerantur infumibula.

Secunda habitatio pedes tredecim inter vtramque contignationem alta, triclinium habet, conclaue, vestiarium, cubicula duo, vestiaria totidem, cum sua cuique latrina. Huius habitationis sex sunt infumibula.

Suprema habitatio, quæ infimis tecti partibus parietum vice vtitur, pedes vndecim sub suum lacunar alta, quatuor distinguitur cubiculis, intercedente nimirum supra triclinium intergerino pariete, adiuncto ad quodque cubiculum vestiario, atque latrina, ita vt singulorum liber sit vsus. Huic habitationi sex adscripta sunt infumibula: quò fit vt totius ędificij octodecim sint infumibula: structura autem, addito vtriusque areæ septo, duobus quoque cellæ vinariæ fornicibus sub altero primæ habitationis cubiculo extructis, in orgyiarum quatuor longitudinem, decémque pedum latitudinem singulis, accedente in alteram ex areis descensu sub eiusdem cubiculi vestiario, itémque sub scalis rectæ itionis cochleari descensu altero, qui in cellam sub alterum cubiculum in confinio cellæ prioris vinariæ effossam deducit, additísque postremùm latrinarum fossis, orgyiarum est mille centum quinquaginta. M C L. org.

XII.

HOc ædificium figura eſt parallelogramma, in cuius ſingulis cuneis rotunda conſtituitur [illegible]rris eâdem, quâ ædificium ipſum, altitudine, quæ eſt orgyiarum ſeptem, nimirum à puluino in [illegible]ubli[illegible]me orgyiarũ quatuor & pedis vnius, eo, quod ſupereſt, in ipſius puluini & fundationis altitudu[illegible]m relicto. Habet autem in fronte latitudinis orgyias quatuordecim, in lateribus autem profundi[illegible] orgyias octo & ſemiſſem.

Prima habitatio decem pedibus ſub trabes elata miniſteriis œconomicis attributa eſt.

Superior duodecim pedes inter vtramque contignationem alta triclinio diſtinguitur, cubiculis duobus, veſtiariis & conclauibus totidem, duobus inſuper locis in latrinarum vſum comparatis.

Suprema habitatio, cui infimæ tecti partes in parietum locum cedunt, nouem pedibus ſub ſuum lacunar elata, paribus diſtinguitur membris quibus inferior proxima.

Hoc ædificium duas interius complectitur rectæ itionis ſcalas: in fronte verò podium occurrit ob elatam primæ habitationis aream adiunctum: ſub eóque podio rectus patet in cellam vinariam deſcenſus, quæ pari cum triclinio longitudine ſub eodem effoſſa eſt, tametſi in eam alium quoque deſcenſum præbeant cochlides ſcalæ ſub altera ex ipſis rectæ itionis ſcalis ſitæ. Totius autem ædificij infumibula ſunt vndecim: eiúſque ſubſtructio orgyiarum eſt mille centũ ſexaginta. M C L X. org.

XIII.

HOc ædificium figura eſt parallelogramma, orgyias octodecim latitudinis in fronte habens, in lateribus vero profunditatis orgyias quatuordecim, adiunctâ tamen area, cuius latitudo orgyiarum eſt decem ſemis, profunditas verò orgyiarum octo & ſemiorgyiæ: altitudo denique ab imis fundamentis ad ſummum parietem orgyiarum ſex, quarum quatuor cum pedibus totidem ſunt à ſoli ſuperficie in ſublime, reliqui autem pedes octo fundationi attribuuntur. In ſingulis huius ædificij angulis collocatum eſt membrum tentorij more faſtigiatum, cuius in omnem partem proiectura orgyiarum duarum eſt. Conſtat autem ædificium totum tribus præcipuis partibus, quarum vna in ambulationis vſum inſtituta eſt, reliquæ verò duæ habitationibus conceduntur, extructo in fronte muro, qui aditum modò in ædes ipſas præbeat.

Prima & infima habitatio pedibus duodecim ſub trabes elata triclinium complectitur, conclaue, culinam, cellam penariam, cubicula duo, conclauia, & veſtiaria totidem: in fronte, ad alterum quidem ambulationis extremum, cellam oratoriam: ad alterum verò, paruum cubiculum.

Superior habitatio pedes vndecim inter vtramque contignationem alta diſtinguitur triclinio, conclaui, cubiculis tribus, totidem conclauibus, & veſtiariis, cum latrinis duabus.

Suprema habitatio, cui infimæ tecti partes in parietum locum cedunt, pedibus decem ſub ſuum lacunar elata, ſimilibus definitur membris quibus inferior proxima. Huc accedunt rectæ itionis ſcalæ toti ædificio accommodatæ, & infumibula octodecim. Totius autẽ ædificij ſtructura orgyiarum eſt mille centum ſeptuaginta. M C L X X. org.

XIIII.

TOtum hoc ædificium particularibus quatuor conſtat ædificiis, cuius latitudo in fronte orgyiarum eſt ſedecim, profunditas verò orgyiarũ ſeptẽdecim quatuórque pedum. Ex his autem particularibus ædificiis illa tria, quorum vnum in poſtico, reliqua duo ad dextram læuámque conſtituta ſunt, quinque orgyiis & ſemyorgyia attolluntur, quatuor nimirũ orgyiis à ſoli ſuperficie ad parietes ſummos, orgyia verò vna ſemis ab imis fundamentis ad ipſam ſoli ſuperficiem. Illa verò profunditas, quam diximus, mediam complectitur aream, cuius latera ſingula orgyiarum ſunt octo ſemis.

Porrò ex iiſdem particularibus ædificiis quartum illud, quod in fronte excitatum eſt, ambulationis vſum præbet, cuius interiores parietes arcuati ſunt, tecto inſuper pauimenti ſubdialis more impoſito, per quod ad vtrumque ædificium dextrâ læuáque extructum tranſitus datur. In ipſius autem ambulationis medio patet in totum ædificium aditus.

Sed alterum ex his, quæ ad latera poſita ſunt, ima ſui parte equile complectitur, cuius longitudo orgyiarum eſt quinque ſemis, trium verò ſemis latitudo. Huc verò tum area ipſa amplior ingreſſum præbet, tum itio quædam ad ipſius primi ædificij frontem pertinens, in cuius extremo ad eiuſdem

itionis

ais latus cubiculum eſt hippotrophorum habitationi, ephippiorum & ornamentorum equeſ una cuſtodiæ deſtinatum. Adhæc in altero eiuſdem equilis extremo, exitus in aliam eſt aream, æ in ſingula latera tres orgyias patens cratitiis obſepitur parietibus itionem ex vno latere occlu- bus, quæ infrà quidem ad latrinas ducit ſolido ædificij muro ad dextram prope equilecon- ctas: ſuprà verò à poſtico ædificio ad eaſdem latrinas aditũ præbet. Cæterùm ſupra ipſu mequi- duo ſunt cubicula, & veſtiaria totidem, poſitis inſuper fœnilibus.

Tertium ædificium ad læuam poſitum ima ſui habitatione culinam complectitur, cellam pena- tiam, & famulare triclinium, quibus accedunt area, & latrinæ, nihil abſimiles his quæ ad dextram collocatæ ſunt. In ſuperiore habitatione duo ſunt cubicula, veſtiaria totidem, poſito inſuper horreo. In hanc autem habitationem ingreſſum præbet tum ipſa ambulatio, tum ædificium illud in poſtico excitatum.

Hoc verò quartum eſt ex particularibus ædificiis omnium ampliſsimum, cuius habitatio infima triclinio diſtinguitur, veſtiario, conclaui, cubiculis duobus, veſtiariis totidem, adiuncta ponè tricli- nium ambulatione: quibus accedunt duæ rectæ itionis ſcalæ in particularium trium ædificiorum vſum comparatæ.

Superior habitatio non diſsimiles inferiori commoditates habet, demptâ tamen ambulatione ip- ſa, quæ pauimenti ſubdialis vicem præbet.

In tertia habitatione triclinium infimas tecti partes parietum loco accipit: quæ verò ad vtrunque latus ſunt cubicula vna contignatione altiùs attolluntur, tecto tẽtoriorum figurâ impoſito: id quod orthographia ſatis oſtendit.

Totius autem ædificij camini ſunt quindecim, effoſſa ſub commune triclinium cellâ vinariâ, in quam à minoris areæ latere deſcenſus patet. Eiúſque ædificij ſtructura, prætermiſſo fonte in media ampliore area poſito, orgyiarum eſt mille trecentarum quadraginta. MCCCXL. org.

XV.

AEdificium hoc particularibus ſex conſtat ædificiis, areáque media, quorum vnum in fronte, duo ad latera, quartum in poſtico duobus poſtremis coniunctum ædificiis in tentoriorum morem faſtigiatis, ex quibus in viridaria proſpectus patet. Totius autem ædificij latitudo in frõte eſt orgyia- rum ſeptemdecim, viginti quinque profunditas, altitudo denique orgyiarum ſeptem, connumera- tis nimirum in fundationẽ pedibus ſeptem. Sed hanc altitudinem vna contignatione ſuperant ædi- ficia ipſa duo tentoriorum more faſtigiata. Porrò areæ latitudo orgyiarum eſt duodecim, decem verò profunditas.

Primum ex particularibus ipſis ſex ædificiis in fronte excitatum tribus decoratur membris tento- riorum more faſtigiatis, quorum medium in ædes ipſas aditum præbet. Horum trium membrorum altitudo ad duas aſſurgit contignationes, horreis inſuper poſitis. In qualibet autem ſingulorum ha- bitatione ſuum cuique membro eſt cubiculum, adiunctis latrinis, & cochlidibus ſcalis. Atque inter hæc ipſa membra ad vtrunque aditus ipſius latus cõſtitutum eſt equile, cuius vnica eſt contignatio, collocato inſuper horreo.

Quæ ad dextram læuámque ſunt ædificia duo, in ambulationis vſum ima ſui parte comparata ſunt, quibus ſubtenſum in ſecunda contignatione tectum ſubdialis pauimenti more impoſitum eſt.

Quod verò inter ampliora duo membra tentoriorum more faſtigiata in poſtico ſitum eſt ædifi- cium, ad tres aſſurgit contignationes, conſtitutâ inſuper habitatione, cui infimæ tecti partes in parie- tum vicem cedunt. Sed ipſa duo membra tentoriorum more faſtigiata, quatuor contignationibus attolluntur, conſtituta inſuper habitatione conſimili. Prima poſtici huius ædificij, ipſorúmque mem- brorum habitatio coquinâ diſtinguitur, cella penaria, famulari triclinio, cellíſque vinariis. Huc au- tem quatuor pedum ſub vtrunque podium deſcenſus eſt: in ſecundam verò habitationem ſex pe- dum aſcenſus patet.

Atque hæc pedibus quatuordecim ſub trabes elata, triclinium complectitur, cubicula duo, con- clauia duo, veſtiaria & latrinas totidem: quibus accedũt duæ rectæ itionis ſcalæ omnium habita- tionum vſum comparatæ: quarũ quidem habitationũ nihil abſimiles ſunt inferioribus cõmoditates.

Hîc verò meminiſſe decet, ponè triclinium ambulationem arcuatis parietibus inſtitutam, cu- ius tectum ſubdialis pauimenti vſum præbeat, ex ipſiúſque ambulationis vtroque extremo pateat

in hortos descensus.

Totius ædificij viginti quatuor sunt infumibula: substructio verò mille nongentarum octoginta orgyiarum. MDCCCCLXXX.o

XVI.

HOc ædificium in decussem siue crucem descriptum est, circa cuius centrum rotunda collocatur area duarum orgyiarum semis diametrum habens, turris in morem distincto in angustiores arcus pariete cincta, cui rotundum, siue mauis hemisphæricum in summo tectum superstat. In huius areæ circuitu constitutæ sunt figura quoque rotunda ędificij scalę, duplici, eóque libero in singulas contignationes ascensu, ita tamen vt ad eiusdem contignationis altitudinem vterque se referat. In has scalas per ipsos arcus lumina immittuntur ex area. Sunt in his etiã duę retractiones graduum siue areolę, per quas in ambulationem rotundam nouem pedes latam ingressus est, in quam per quaternos fenestrarum decusses inter quatuor membra tentoriorum modo fastigiata collocatos, lumina infunduntur. Huius ędificij altitudo ab imis fundamentis ad parietes summos orgyiarum est octo, septem nimirum à soli superficie in altum, quòd vnica fundamentis tribuatur.

Prima habitatio decem pedibus sub trabes alta, exceptis tamen tribus gradibus extra circúmque ædificium procurrentibus. In primo ipsorum quatuor membrorum aditus est tribus itionibus, quæ arcuatis parietibus distinguuntur, patens, quarum media ad laterales singulas duplicem habet latitudinem. Hâc iter est ad primam ambulationem in ambitu scalarum cõstitutam, quæ ad tres trium reliquorum membrorum infimas ducit habitationes. Ex his verò tribus membris vnum equili debetur: alterum culinæ, cellæ penariæ, & vasculariæ: tertium autem famulari triclinio, lintei epularis apothecæ, cubiculo, & secretioribus scalis extra ędes ducentibus.

Superior habitatio pedes tredecim inter vtramque cõtignationem alta ita describitur, vt in primo mẽbro, quod infrà ingressum prębet, cõtineantur triclinium, cõclaue, & vestiarium: in trium autem reliquorum singulis, eadémque habitatione superiore, cubiculum, cõclaue, & vestiariũ. Ad id verò, quod equile infrà cõplectitur, accedunt latrinę in singulis huius membri habitationibus continuatę.

Tertia habitatio, pedibus vndecim sub trabes elata, paribus & similibus continetur partibus, quibus inferior proxima

Suprema omnium habitatio, cui infimę tecti partes in parietum vicem cedunt, decem pedes sub suum lacunar alta, totidem similibúsque describitur partibus. Totius autem ędificij infumibula sunt vnum & viginti, quibus accedit cella vinaria duobus fornicibus concamerata, quorum longitudo sex orgyias, latitudo verò pedes vndecim complectitur: substructio denique bis mille ducentarum quindecim orgyiarum. IIMCCXV.org.

XVII.

AEdificium hoc figura est parallelogramma, cuius in fronte latitudo orgyiarum est vnius & viginti cum semisse, sed triginta vnius profunditas. Sunt autem varia huius ędificij membra tres areas includentia.

Ædificium in fronte excitatum, in cuius medio aditus patet, ad duas contignationes assurgit, positis insuper horreis: eiúsque talis est descriptio, vt alterum latus equili tribuatur, alterum autem triclinio & cubiculo, quibus duæ accedunt scalæ ædificium ipsum vna contignatione superantes.

Superior habitatio, quam bipertitam efficiet intermedius ipse aditus subdialis pauimenti in morem tectus, in vtroque latere distinguitur cubiculis duobus, & vestiario, vnde tum in frõtem tum in duas minores areas prospectus datur, quarum singula latera tres orgyias pedémque vnum in longitudinem patent: hísque adiunctę sunt ambulationes duæ gnomonis orthogonij figura constitutæ, ac subdialis pauimenti modo tectæ, arcubúsque tum in aditus itionem, tum in ampliorem patentes aream, cuius latera singula orgyiarum sunt tredecim.

Ad dextram huius areæ partem extructum est ædificium duabus elatum contignationibus, quarum prima coquinam, cellam penariam, famulare triclinium, & lintei epularis apothecam continet, quibus rectæ accedunt scalæ ad posticum amplius ædificium adiunctæ.

Superior verò huius ædificij habitatio duobus distinguitur cubiculis, & vestiariis totidem: his verò suprema incumbit habitatio, quæ infimas tecti partes parietum loco accipit, eadémque habitandi ratione describitur.

Ad leuam

læuam autem ipſius areæ partem alterum eſt ædificium eiuſdem tum altitudinis tum latitudi- uod in ima,media, & ſumma contignatione ambulationis vſum præbet per feneſtras lumen ientis.

dificium denique in poſtico excitatum ad eandem aſſurgit altitudinem: in cuius ima habita- e triclinium, cubiculum, & veſtiarium continentur, additis ſcalis, communibúſque locis duo- bus ad extrema ædificij relictis,quà in hortos deſcenſus eſt.

Superior habitatio ſimiles inferioribus commoditates habet, addito præterea conclaui, & bibliotheca,quæ ſupra loca ipſa communia conſtituta ſunt. Eadem eſt deſcriptio ſupremæ habitationis,quæ infimis tecti partibus,vt parietibus vtitur.

Totius autem ædificij ſubſtructio,connumeratis videlicet cellis vinariis, puteis duobus, & quatuor latrinarum foſsis, cum viginti tribus infumibulis, orgyiarum eſt bis mille trecentarum & octoginta. IIMCCCLXXX. org.

XVIII.

TOtius ædificij huius medium quadrata deſcriptum figura, cuius ſingula latera orgyiarum ſunt quindecim ſemis, & particularibus tribus conſtat ædificiis, ita tamen vt ad quemlibet ipſius quadrati angulum ſingula adſtruantur membra tentoriorum more faſtigiata, quorum proiectura in longum latúmque orgyiarum eſt quatuor pedúmque duorum. In huius ædificij fronte ambulatio occurrit, cui ſubtenſum imponitur tectum, quæq; duplicem aditum præbet in porticum, indéque in amplius famulare triclinium, cuius longitudo orgyiarum eſt decem ſemis, orgyiarum ſex latitudo: altitudo autem duplici fornice ad faſtigium attollitur columnarum adminiculo fornices in triclinij medio fulcientium.

Ad vtrumque famularis huius triclinij latus aliud collocatum eſt triclinium longitudinem habens ſex orgyiarum ſemis, latitudinem verò orgyiarum quatuor, cui adiuncta ſunt à poſtico cubicula, conclauia, & veſtiaria. Ex illis autem quatuor angularibus membris poſteriora duo ſuas habent cochlides ſcalas: anteriora autem duo, rectas: quorum alterum coquinæ, cellæ penariæ, aliiſque vſibus accommodatur: alterum autem cubiculis & veſtiariis in hoſpitum habitationem diſtinguitur.

Medium ipſius quadrati ædificium ab imis fundamentis ad ſummos parietes orgyiis octo attollitur, à ſoli videlicet ſuperficie in altum orgyiis ſex pedibúſque quatuor, ita vt pedes octo fundationi concedantur. Quæ verò ad dextram læuámque ſita ſunt, orgyiis duntaxat quinque attolluntur, à ſoli nimirum ſuperficie in altum. Vtriuſque huius ædificij altitudinem vna contignatione angularia ſuperant membra,quò nimirum medij altitudinem adæquent.

Prima habitatio pedibus quatuordecim ſub trabes attollitur: ſecunda,pedibus decem:tertia verò in ipſis angularibus membris pedes nouem alta eſt.

Eadem habitatio ſecunda vtriuſque ædificij ad medij latera extructi, necnon angularium quatuor membrorum,ſimilibus diſtribuitur partibus,quibus inferior proxima, in fronte nimirum cubiculis duobus,veſtiariis duobus, & conclauibus totidem : in poſtico autem tricliniis duobus,cubiculis quatuor, veſtiariis quatuor,conclauibúſque duobus.

Tertia habitatio ſimilibus deſcribitur partibus, niſi quòd in vtroque ædificio ad medij latera ſito triclinia & cubicula infimas tecti partes parietum vice accipiunt. Porrò ędificium ipſum caminos ſex & triginta habet,effoſſa ſub vno angularium membrorum quatuor cellâ vinariâ. Totius autem ſubſtructio orgyiarum eſt bis mille decem & quadringentarum. IIMCCCCX. org.

XIX.

AEdificium hoc particularibus quatuor ædificiis conſtat, cuius in fronte latitudo eſt orgyiarum quatuor & viginti,profunditas verò viginti. Media autem area latitudinis eſt orgyiarum octodecim,profunditas vndecim.

Quod in fronte eſt ædificium tribus membris decoratur tentoriorum more faſtigiatis,ad duplic cõtignationẽ ſublatis,collocatis inſuper horreis. Per horũ mediũ patet in ædes aditus. Ex reliquis au duobus,quę angulos tenent,alterum œconomicis deputatur miniſteriis,alterũ cubiculis & veſtiari diſtinguitur. Porrò inter hæc tria ædificij membra ad hanc & illam ingreſſus partem extructa ſur

equilia,ad vnicam contignationem ſublata,collocatis inſuper horreis.

Quæ verò ad dextram læuámque ſita ſunt ædificia duo ambulationum vſum præbent; qu prima contignatio duplici fulcitur ſtylobata,ſuperiore per feneſtras lucem hauriente.

Quartum ædificium in poſtico excitatum tribus quoque decoratur membris tentoriorum re faſtigiatis,quorum ſingula triplici aſſurgunt contignatione, collocatâ inſuper habitatione, infimis tecti partibus parietum vice vtitur.Nam his interiectę ædificij partes duplici ſolùm attolluntur contignatione,poſitâ inſuper habitatione conſimili:hoc autem ædificium tricliniis diſtinguitur, cubiculis,& veſtiariis,quibus accedunt duæ rectę itionis ſcalæ.

Totius denique ædificij camini ſunt viginti duo:cuius ſubſtructio,connumeratâ etiá vinariâ cellâ, orgyiarum eſt bis mille decem & quadringentarum. IIMCCCCX.org.

XX.

VIgeſimum ædificium particularibus quatuor conſtat ædificiis in quadrati figuram compoſitis, ita vt facies quævis vigintiquinque orgyiarum longitudinem habeat, prætermiſſo tamen ſubdiali pauimento, quod in poſtico ad hortos ſpectat, in quos ab ipſo deſcenſus patet, adiunctâ autem areâ quadratâ medium inter ipſa ædificia locum occupante: cuius latera ſingula orgyiarum ſunt ſedecim.

Primum ex quatuor ædificiis in fronte excitatum ambulationis vſum prębet, cui ſubtenſum imponitur tectum,quę media ſui parte in totum ædificium aditum prębet.

Duo verò ædificia dextrâ lęuáque ſingulas in medio ſcalas habent: imáque alterius habitatio partim equili,partim,cubiculo, conclaui, & veſtiario conceditur: alterius autem, miniſteriis famularibus attribuitur.

Secunda eorundem ędificiorum habitatio tribus ſingillatim diſtinguitur cubiculis,veſtiariis duobus,conclaui,& latrinis,horreis inſuper collocatis.

Quartum ędificium in poſtico extructum duabus etiam contignationibus, ſummáque habitatione,quę infimas tecti partes parietum vice accipit,elatum,vtraque ſui extremitate,quę extra aream excurrit, tentoriorum inſtar faſtigiata, vbi altitudo quoque reliquam huius ędificij ſublimitatem contignatione vna ſuperat. Diſtinguitur autem ſuis partibus habitationi idoneis, quibus accedunt rectę itionis ſcalę,addito in ſubdiale pauimentum (cuius ſuprà facta eſt mentio) exitu,quemadmodùm propoſita ſatis oſtendit ichnographia.

Totius autem ędificij ſeptem & viginti ſunt camini,effoſſa ſub famulari triclinio cellâ vinariâ:ſubſtructio verò orgyiarum bis mille quingentarum & triginta quinque. IIMDXXXV.org.

XXI.

TOtum hoc ędificium particularibus quatuor conſtat ædificiis in quadratum compoſitis, cuius longitudo in fronte vnius eſt & viginti orgyiarum,profunditas verò viginti vnius & ſemiſsis,adiuncta tamen area media,cuius ſingula latera orgyiarum ſunt vndecim.

Primum ex particularibus quatuor ędificiis in fronte excitatum,ambulatio eſt,cuius tectum ſubdialis pauimenti vſum præbet,vnde extra ædificium patet proſpectus. In vtroque huius ędificij extremo ſingula conſtituuntur membra tentoriorum more tecta,ad duas contignationes aſſurgentia, quę vtrique ędificio dextra lęuaque extructo inſeruiunt.

Vtriuſque autem ędificij altitudo duabus etiam contignationibus diſtinguitur, additis inſuper horreis,ita vt quod ad dextram ſitum eſt,ima ſui habitatione culinam complectatur, cellam penariam,famulare triclinium,& lintei epularis apothecam:quod verò ad ſiniſtram, ima quoque ſui habitatione,cubicula duo totidémque veſtiaria contineat.

Secunda vtriuſque huius ędificij habitatio duobus ſingillatim diſtribuitur cubiculis, veſtiariis duobus,atque latrinis,adiunctis ſuis vtrique ædificio ſcalis.

Quartum verò ex particularibus ędificijs in poſtico ſitum duobus itidem attollitur contignationibus, adiuncta inſuper habitatione quę infimis tecti partibus vt parietibus vtitur: quam tamen altitudinem vna contignatione ſuperant extrema duo huius ędificij membra tentoriorum more tecta, quibus adiunctę ſunt rectę itionis ſcalę. Harum habitationum vtraque triclinio diſtinguitur, cubiculis

...uobus, vestiariis duobus,& conclauibus totidem: ita vt ex ima habitatione per duo loca po... ...las ipsas in hortos dentur aditus, qui ad subdiale pauimentum pertineant, ex quo in hortos ...n duorum descensus patet.

...ius autem ædificij, quod infumibula octo & viginti habet, cellámque vinariam sub famulare ...m effossam, structura orgyiarum est bis mille quingentarum. I I M D. org.

XXII.

...D vtrumque huius ædificij extremum singula in fronte adstructa sunt membra tentorij more tecta, inter quæ medium ducitur subdiale pauimentum ad secundæ contignationis altitudinem elatum. Ad hoc pauimentum subdialis ascensus est per duas rectæ itionis scalas vtrique membro coniunctas: itémque subtegulaneus ascensus alius per alias scalas in medio totius ædificij sitas: cuius latitudo in fronte triginta quatuor orgyiarum est, connumerato vtroque ædificij totius membro: profunditas verò, orgyiarum viginti trium, connumeratâ simul areâ.

Aedificium hoc tribus contignationibus attollitur, superatur tamen hæc altitudo vnâ contignatione ab vtroque membro tentorij more fastigiato.

Prima habitatio nouem pedibus sub trabes elata, domesticis ministeriis attribuitur.

Secunda verò pedes tredecim inter vtramque contignationem alta, suas in medio, vt dictum est, scalas habet,& ad vtrumque eorũ latus tricliniũ, cubiculum, conclaue, vestiariũ,& latrinas continet, quibus accedunt secretiores quædã scalæ in vtroque membro tentorij instar fastigiato excitatæ.

Tertia habitatio tredecim pedibus elata, similes habitãdi cõmoditates, quas inferior, cõplectitur. Idémque iudicium de suprema omniũ habitatione, cui infimę tecti partes in parietũ vicem subeunt.

Porrò totius ædificij sex & viginti sunt infumibula, substructio verò bis mille quingentarum & quinquaginta orgyiarum. I I M D L. org.

XXIII.

AEdificium hoc figura est parallelogramma, particularibus quatuor ædificiis constans, quorum vnum in fronte, duo ad latera, quartum in postico situm est. Area inter hæc media latitudinẽ habet orgyiarum viginti octo, profunditatem verò orgyiarum vndecim semis. Ipsum autem ædificiũ in frõte & postico latitudinem habet orgyiarum triginta quatuor, profunditatem verò vnius & viginti: cuius altitudo ad septem orgyias assurgit, quarum sex à soli superficie ad summos parietes, vna verò fundationi tribuitur, non adnumeratis duobus membris tentoriorum more fastigiatis, quæ ad duo postici ædificij extrema sunt extructa: quorum proiectura orgyiarum est duarum & pedum totidem, ita tamen vt eadem hæc duo membra cum intermedio altitudinem postici ipsius ædificij vna contignatione superent.

Quod verò in fronte constitutum est ædificium, aditum in ædes sui medio patefacit, posito ad lęuam equili, cui duo adiuncta sunt loca in hippotrophi habitationem & ornamentorum equestriũ custodiam comparata, vnà cum cochlidibus scalis: descriptâ verò ad dextram coquinâ, cellâ penariâ, cellâ vasculariâ, cellâ panariâ, famulari triclinio, vestiario,& lintei epularis apothecâ, vnâ cum cochlidibus scalis.

Superior eiusdem ædificij habitatio cubiculis & vestiariis distinguitur, positis insuper horreis.

Quę ad dextram lęuámque sunt ædificia ad parem assurgunt altitudinem, quorum imę contignationes ambulationibus tribuuntur citra concamerationem compositis. Superior autem contignatio decussatis patet fenestris.

Vtrique ambulationi suæ sunt cochlides scalę ad eorundem membrorum tentoriorum more fastigiatorum altitudinem assurgentes, quę tum ambulationibus ipsis, tum postico ampliori ædificio commodant.

Hoc verò cæteris particularibus ædificiis altitudine conueniens medio distinguitur triclinio, ad quod ab eisdem scalis per itiones duas transitus datur: ad vtrumque autem ipsius triclinij latus duo sunt cubicula, vestiaria duo, conclaue vnum, quibus angusta duo accedunt loca.

Secunda habitatio, itémque tertia, quæ, pręterquàm in membris ipsis tentoriorum more fastigiatis, infimas tecti partes parietum loco accipit, similem inferiori habent descriptionem.

Totius autem ædificij triginta tres sunt camini, effossâ sub famulare triclinium ædificij in fronte excitati cellâ vinariâ: structura verò orgyiarum bis mille quingentarum octoginta.

I I M D L X X X. org

HOc ædificium figura eſt parallelogramma, particularibus ſeptem conſtans ædificiis, & tr aeris, quarum maxima medium locum obtinet, duæ reliquæ minores ad latera ſitæ ſunt tius autem huius ædificij, connumeratis areis, latitudo in fronte orgyiarum eſt quadraginta que, vnius autem & viginti profunditas.

Quæ ad latera duo ſunt ædificia minoribus areis coniuncta, attribuuntur, alterum quidem li, alterum verò condendis ſegetum manipulis, excutiendíſque granis: habéntque ſingula ſingul in ſuum vſum areolas.

Sed tria ædificia, quorum vnum in fronte, reliqua duo ipſi coniuncta ad dextram læuámque ſita ſunt, & maiorem concludunt aream, orgyiarum vndecim altitudinem habent, quarum nouem ſunt à ſoli ſuperficie ad ſummos parietes, duæ verò reliquæ fundationi conceduntur. Ex ipſis autem ædificiis, id, quod in fronte excitatum eſt, cubiculis diſtinguitur, & veſtiariis, quibus accedit ambulatio arcuatis parietibus ad aream pertinens, ſed quæ in ſuperiore habitatione triclinij vſum præbeat, cum ſimili cubiculorum, veſtiariorum, & conclauium deſcriptione: poſitis ad vtrumque huius ædificij extremum & ſcalis, & latrinis.

Reliquorum autem ædificiorum vtrumque in prima quidem habitatione rectas habet ſcalas, poſitis vtrinque tricliniis: quorum poſterioribus adiunctę ſunt ambulationes arcu duplici in aream patentes, vnà cum appoſito ſingulis tum cubiculo, tum veſtiario.

Superior habitatio eorundem duorum ædificiorum ſimilem planè inferiori deſcriptionem habet, niſi quòd ipſa ambulatio in cubiculum commutatur.

Tertiæ habitationis, itémque quartæ, quę infimas tecti partes parietum loco accipit, ſimilis eſt deſcriptio.

Sed poſtrema quę ſuperſunt duo ędificia in prima quidē habitatione diſtinguũtur coquinâ, & cellâ penaria, additis cochlidibus ſcalis: in ſuperiore autē & poſtrema habitatione, cubiculis, ac veſtiariis.

Totius porrò ædificij ſexaginta ſeptem ſunt camini, cum cella vinaria, ita vt eius ſtructura orgyiarum ſit bis mille decem & ſexcentarum. IIMDCX. or.

XXV.

AEdificium hoc particularibus quatuor continetur ędificiis mediam aream vndique cingentibus, cuius areę ſingula latera orgyiarum ſunt tredecim, adſtructis extrinſecus ad ſingulos cuneos ſingulis ſcalis, quarum altitudo vna contignatione ſuperat quatuor ipſa ędificia ad duas contignationes pręter horreum aſſurgentia. Totius autem ędificij latitudo in fronte orgyiarum eſt trium & viginti, totidémque profunditas: altitudo denique ab imis fundamentis, quę orgyiam vnam depreſſa latent, ad ſummos parietes, orgyiarum ſex.

Prima totius ædificij habitatio pedibus tredecim ſub trabes elata diſtinguitur in frõte quidem coquinâ, cella penaria, cella vaſcularia, famulari triclinio, & cella œnonomica: in poſtico verò, cubiculis duobus, veſtiariis duobus, & conclauibus totidem, adiunctâ ad hanc vtramque contignationem in longum ambulatione arcuatis parietibus inſtructa, vt docet ſcenographia.

Superior verò vtriuſque particularis huius edificij habitatio veſtiariis & conclauibus diſtinguitur.

Sed prima reliquorum duorum ædificiorum ad dextram læuámque ſitorum contignatio ita deſcribitur, vt altera triclinio, veſtiario, cubiculo, veſtiario, conclaui, & latrinis attribuatur: altera verò, cubiculis duobus, conclauibus totidem, veſtiariis duobus, totidémque latrinis concedatur.

Superior habitatio, duodecim pedes inter vtramque contignationem alta non abſimiles inferiori complectitur habitandi commoditates, collocatis inſuper horreis.

Totius ædificij quadraginta ſunt infumibula, cellæ vinariæ duæ: ſubſtructio verò bis mille ſeptingentarum & quinquaginta orgyiarum. IIMDCCL. org.

XXVI.

AEdificium hoc particularibus quatuor conſtat ædificiis in quadratum compoſitis, ita vt angulo cuilibet ſingula adſtructa ſint membra tentoriorum more faſtigiata, quæ vna contignatione altitudinem ſuperent ipſorum quatuor ædificiorum ad tres modò contignationes aſſurgentium, quibus

accedit ſuprema habitatio,cui infimæ tecti partes in parietum vicem cedunt.Totius autem ædi- j exterior in omnes partes longitudo orgyiarum eſt ſex & viginti,adiuncta videlicet angularium embrorum proiectura, quæ in vtrumque latus orgyiam vnam & ſemis patet. Inter hæc media eſt ea,cuius ſingula latera orgyias vndecim habent.

In ædium ingreſſu tres occurrunt gradus altitudinem ſortiti pedis vnius & ſemiſsis, quibus ad re- tionem graduum ſcanditur, vnde trium etiam pedum patet in aream aſcenſus, totidémque pe- dum in poſtico datur ad hortos deſcenſus. Cæterùm in hypogeam habitationem ipſorum quatuor ædificiorum, quorum ea, quæ in fronte & poſtico, œconomicis attribuuntur miniſteriis: quæ verò ad latera, vinariis, lignariíſque conceduntur cellis, deſcenſum præbent rectæ ſcalæ in ichnographia deſcriptæ.

Prima habitatio,quæ ſupra terram eminet, cuiúſque ima ſuperficies areæ planitiem æquat, duo- rum ſcilicet ædificiorum in fronte & poſtico excitatorum, partim quidem cubiculis & veſtiariis di- ſtinguitur, quemadmodum & ſuperior: partim verò ambulationum vſum prębet arcuatis parieti- bus obſeptarum:quarum poſterior ſingulas habet in vtroque extremo quadratas rectę itionis ſcalas, anterior verò ſimiles ad dextram quidem ſcalas obtinet:ad lęuam autem communem quendam lo- cum, qua tranſitus datur.Porrò hę ambulationes inter ſe aduerſę in ſecunda contignatione ſubdialis pauimenti modo ſtratę ſunt.

Sed prima quidem,quę ſupra terram extat, habitatio vtriuſque reliquorum duorum ex particula- ribus quatuor ędificiis ad dextram lęuámq; excitatum, diſtinguitur triclinio, cubiculis duobus,con- clauibus duobus,& veſtiariis totidem. Eadem eſt ſuperioris vtriuſque habitationis deſcriptio.

Tertia autem habitatio eorundem particularium quatuor ędificiorum,quę infimis tecti partibus parietum vice vtitur,non diſsimiles inferioribus commoditates ſibi vendicat: tametſi in ipſis angu- laribus membris ſuprema habitatio,eorundem quatuor ędificiorum altitudinem vincit.

Totius porrò ædificij ſexaginta octo ſunt infumibula:ſubſtructio verò,nō adnumeratis aliis cellis vinariis ad eas,quarum antea facta eſt mentio,orgyiarum eſt bis mille octingentarū. I I M D C C C.or.

XXVII.

Ædificium hoc figura eſt parallelogramma,cuius latitudo viginti trium eſt orgyiarum,trium au- tem & triginta profunditas.Conſtat autem particularibus quatuor ædificiis, ex quibus duo hinc & illinc ad dextram læuámque,tertium in poſtico, quartum verò in medio ſitum eſt, anteriorem a- ream à poſteriore diſtinguens,quarum illa ſepitur muro, per quem medium in ædes patet aditus.Hu ius areæ latitudo orgyiarum eſt tredecim ſemis,profunditas verò orgyiarum eſt decem ſemis.Porrò ad eius latera partes ædificiorum dextrâ læuáque extructorum ita comparatæ ſunt, vt altera equili concedatur, altera verò cubiculis,cellæ piſtoriæ, furno,& lixiuio attribuatur.Vtriuſque autem late- ris partes vnica attolluntur contignatione, collocato inſuper horreo, adſtructis tamen in vtroque frontis extremo ſingulis ædificij membris tentoriorum more faſtigiatis,& ad duplicem cōtignatio- nem ſublatis,quibus ſingulæ adſcriptæ ſunt ſcalæ.

Altera item area orgyias tredecim ſemis in latitudinem patet,in profunditatem verò orgyias vn- decim ſemis.Hæc ſuperioribus quatuor ædificiis vndique clauditur,quorum primum, quod aream ab area diſtinguit,ambulationis vſum prębet ad duplicem contignationem aſſurgentis,ita vt imi pa- rietes ex vtraque parte arcuati liberum ex vtraque area in alteram aſpectum præbeant.Ad vtrumque autem huius ambulationis extremum vtrique ædificio ad dextram lęuámque ſito adiunctæ ſunt ſca- læ in ipſorum ędificiorum vſum comparatę.

Vtrumque hoc ędificium ad dextram læuámque excitatum duplici attollitur contignatione,col- locata inſuper habitatione,quę infimas tecti partes parietum loco accipit:tribúſque decoratur mem- bris tentoriorum more faſtigiatis,quorum duo,quę ad hortum pertinent,cęterorum altitudinem v- na contignatione ſuperant.

In poſtico autem inter prędicta duo membra,quę cęterorum altitudinem ſuperant,excitatum eſt quartum ędificium ad contignationem duplicem conſurgens, poſita inſuper habitatione,cui infimę tecti partes in parietum vicem cedunt: atque hęc omnia ſuas habent commoditates, vt ex ichnogra- phia perſpici poteſt.

Totius autem ædificij ſubſtructio,connumeratis duabus cellis vinariis,duabúſque latrinarum foſ-

ſis,orgyiarum eſt bis mille nongentarum triginta. I I M I X C X X X.

XXVIII.

